UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

101 Absit ut una duos habeat provincia patres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62915

Visual Library

C. IX. ¶ *Cum uſu pallii aliqua privilegia debent concedi.*

Unde idem Gregorius *Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi, lib.7. epiſt.112.*

RAtionis *a* ordo omninò nos admonet, ut cum uſu pallii aliqua ſimul ſicut diximus, largiri privilegia debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento, cura quoque ſollicitudinis debet accreſcere, ut cultui veſtium, actionis quoque ornamenta conveniant, oportet, ut eniXius in cunctis ſe ſtudiis veſtra fraternitas exerceat, & circa 1 ſubjectorum actus ſit cura vigilans, ut veſtrum illis exemplum inſtructio, & vita magiſtra ſit.

1 ¶ Et circa] *Locupletatus eſt hic locus ex originali.*

C. X. ¶ *Uſus pallii conceditur, & antiqua privilegia innovantur.*

Idem *Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ Illyricæ, lib.4. epiſt.15. ſeu c.59.*

PAllium *b* vobis ex more tranſmiſimus, & vices vos Apoſtolicæ ſedis agere iterata innovatione decernimus.

C. XI. ¶ *De eodem.*

Idem *Epiſcopis Epiri, lib.5. epiſt. 7. ſeu cap.107. indict.14.*

SCriptorum *c* veſtrorum inſinuatio, fratres chariſſimi, patefecit Andream fratrem noſtrum Nicomedianæ civitatis Epiſcopum, Deo propitio, ſolenniter ordinatum. *& infrà.* ¶ Supraſcripto igitur Andreæ fratri, & Coepiſcopo noſtro pallium nos direxiſſe agnoſcite, atque privilegia, atque cuncta conceſſiſſe, quæ prædeceſſores noſtri ejus prædeceſſoribus contulere.

a *Polyc.l.2.tit.21. Anſ.lib.6.c.86.* b *Anſel. lib. 6. cap.100.* c *Anſ.6.l.c.100.*

DISTINCTIO CI.

I*N una autem provincia duo metropolitani eſſe non debent: ſicut* in Chalcedonenſi concilio, *cap.12. ſtatutum eſt.*

C. I. ¶ *Duo metropolitani in una & eadem Provincia eſſe non debent.*

PErvenit *a* ad nos, quòd quidam præter eccleſiaſticas ordinationes affectantes potentiam, per pragmaticum ſacrum 1 unam provinciam in duas dividere, ita ut ex hoc inveniantur duo metropolitani Epiſcopi in una eademque provincia eſſe. Statuit ergo ſancta ſynodus deinceps nihil tale attentari à quolibet Epiſcopo, eos verò qui aliud tale attentaverint, cadere de proprio gradu.

1 ¶ Pragmaticum ſacrum] *Verſiones priſca, & Dionyſiana habent,* per pragmaticam formam: *Græcè autem eſt* διὰ πραγματικῶν, *quod in eodem capite paulò poſt dicitur,* διὰ γραμμάτων βασιλικῶν: *id eſt, per literas Imperiales.*

Hactenus de electione, & ordinatione clericorum tractavimus. Nunc ad ſimoniacorum ordinationes tranſeamus. Et ut facile liqueat, quid ſuper hac hæreſi, ſanctorum patrum decreta auctoritas, cauſa deducatur in medium: cujus negotium, & de ſi... enter à ſimoniacis conſecratis, & de ordinationibus, quæ per pecunias fiunt, contineat.

a *Polyc. lib. 1. tit. 24. Ivo par. 5. cap. 146. Burchardus l... cap. 35.*

DECRETI PRIMAE PARTIS FINIS.

DECRETI PARS SECUNDA.

CAUSA I.

Q*Vidam habēs filium, obtulit eum ditiſſimo cœnobio: exactus ab Abbate, & à fratribus decem libras ſolvit, ut filius ſuſciperetur, ipſo tamen (beneficio ætatis) hoc ignorante. Crevit puer, & per incrementa temporū & officiorum ad virilem ætatem, & ſacerdotii gradum pervenit. Exinde ſuffragantibus meritis in Epiſcopum eligitur, interveniente obſequio, & paternis precibus, data quoq; pecunia cuidam ex conſiliariis Archiepiſcopi, conſecratur iſte in Antiſtitem, neſcius paterni obſequii & oblatæ pecuniæ. Procedente verò tempore nonnullos per pecuniam ordinavit, quibusdam verò gratis benedictionem ſacerdotalem dedit: tandem apud metropolitanum ſuum accuſatus, & convictus ſententiam in ſe damnationis accepit.*

1. q. *Hic primum quæritur, an ſit peccatum emere ſpiritualia.*
2. q. *Secundò, an pro ingreſſu eccleſiæ ſit exigenda pecunia, vel ſi exacta fuerit, an ſit perſolvenda.*
3. q. *Tertiò, an ingreſſum, vel præbendas eccleſiæ emere ſit ſimoniacum.*
4. q. *Quartò, an iſte ſit reus criminis, quod eo ignorante pater admiſit.*
5. q. *Quintò, an liceat ei eſſe in eccleſia, vel fungi ea ordinatione, quàm paterna pecunia eſt aſſecutus.*
6. q. *Sextò, an illi qui ab eo jam ſimoniaco ignoranter ordinati ſunt, abjiciendi ſint, an non.*
7. q. *Septimò, ſi renuncians ſuæ hæreſi ſit recipiendus in Epiſcopali dignitate, vel non.*

QUÆSTIO I.

1 ps Q*Vòd autem ſpiritualia emere peccatum ſit, probatur multorum auctoritate.*

C. I. ¶ *Simoniaci gratiam non præſtant, quam vendere quærunt.*

Ait enim Leo Papa.

GRatia 1 ſi *a* non gratis datur, vel accipitur, gratia non eſt. Simoniaci autem non gratis accipiunt: igitur gratiam, quæ maxime in eccleſiaſticis ordinibus operatur, non accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent; ſi autem non habent, nec gratis, nec non gratis cuiquam dare poſſunt. Quid ergo dant? profectò, quod habent: quid autem habent? Spiritum utiq; mendacii. Quomodo hoc probamus? quia ſi Spiritus veritatis (teſtante *b* ipſa veritate, de qua procedit) gratis accipitur, proculdubio Spiritus mendacii eſſe convincitur, qui non gratis accipitur.

1 ¶ Gratia] *Simillima primis verbis hujus capitis habentur in epiſtola Leonis primi Nicetæ Aquilegienſi Epiſcopo ſcripta, quæ...*

a *Deusdedit in tract. de ſimonia.* b *Matth.10.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN